Nie pożycza się do domu.

ORATIO
AD
UNIVERSOS

Serenissimæ

Reipublicæ Polonæ Ordines dicta, à Serenissimi Principis Lotharingiæ Legatis, die 12. Iunij, Anno 1669.

Reverendissimi, Excellentissimi, Illustrissimi, Perillustres, Magnifici, ac Generosissimi Principes, & Senatores cæterique Serenissimæ Reipublicæ Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ Congregati Ordines.

SI commendationes externorum Principum tanti apud hanc Serenissimam Rempublicam haberi crederem, ut Candidato ab earundem conspiratione proposito, Regium suum

Diadema tradere necessarium duceret; absteruissent me sanè à comparendo coram hoc amplissimo consessu, tot conjuncta in unius promotionem coronata capita.

Verùm cùm notus orbi sit zelus, quô ea libertatem suam in omnibus, præsertim autem in adsciscendis sibi Regibus generosissimè tuetur, & proinde nullatenus permissura videatur, ut Rex suus alibi priùs à fœderatis Principibus pro suo quolibet interesse, quàm hic ab ipsa eligatur; sine in hac libertatis suæ crisi maximum liberæ suæ Electioni præjudicium inferatur, ad exponendum Legationis mihi impositæ contentum minimè animum despondere volui.

Ingens virtuti prœmium proponit Serenissima Respublica, quod magnitudine suâ multis retro sæculis studia animosque celeberrimorum totâ Europâ Principum, in se convertit, hodièque vel maximè Serenissimorum Candidatorum ambitionem excitavit; dum laudabili planè generositate virtutem non domesticam tantùm, quâ semper abundavit, hodieque abundat Polonia, sed externam etiam ad tam gloriosum certamen admittit, orbique vult innotescere, solam hanc veræ virtutis Patriam dici posse, quippe quæ eam undequaque advenientem ut nativam excipiat, & veneretur, apud illam solam verè virtus regnat, & viderunt non semel Superiores ætates,

tes,

tes, eam ubicunque terrarum inventam omni alio poſtpoſito reſpectu, à Prædeceſſoribus veſtris fuiſſe coronatam.

Hiſce exemplis & æquitate veſtrâ inductus ante Tribunal veſtrum ſe ſiſtit CAROLUS HYACINTHUS Lotharingiæ Princeps, certus virtutem etiam hodie etſi externis ſuffragiis nudam, hîc tamen patrocinio non cariturам. Non potuit diutiùs tot Regum & Heroum generoſum ſanguinem ad Thronum velut ad centrum ſuum tendentem intra Macedoniæ ſuæ limites coërcere, & poſtquam modeſtiæ ſuæ luculenta dediſſet teſtimonia legibus adamuſſim obſervatis, & non ante Interregnum Candidatus, credidit ſe Sereniſſimæ Reipublicæ ſibiq; deſuturum, niſi DEUM & fortunam vocantem ſequeretur, eidemque ſimul concurrentiâ ſuâ medium ſuppeditaret, tùm ſuſpectam aliquorum deſpoticam dominationem, tùm officioſam aliorum violentiam & in libertatem veſtram ſub ſpecioſis commendationum nominibus conſpirantem eludendi.

Latus hic ſe Campus offerret commendationes illas Sereniſſimæ Reipublicæ ſuſpectas reddendi, virtutemque in dubium vocandi, quæ tanto patrocinio tam ſtudioſè emendicato, ejus ſe indigam eſſe tacitâ confeſſione concedit: ſed prout PRINCEPS meus æquitati veſtræ injurium eſſe credit, alienam laudem & ſuffra-

gia anxiè nimis & operosé aucupari, ita alienis defectibus rem suam promovere minùs generosum, quin imo indecorum esse arbitratur, exosus semper linguas & calamos petulantiores in Regum & Principum cognatam cœlo potentiam.

Liceat ergo mihi solùm pro Domo Lotharingica modestè perorare, liceat Principem CAROLUM HYACINTHUM talem qualis est, sine ulla laudum exaggeratione sistere, quod eò libentiùs facturus sum, quod sciam virtutem nunquam tantos sui amores excitare, quàm ubi nuda & alienis ornamentis spoliata conspicitur: Vestræ equitatis erit, & illius quam in omnibus retro Electionibus testati estis erga Patriam vestram charitatis, ubi præsentem illius statum cum cujuslibet Candidati persona & dotibus seriâ trutinâ composueritis, illum tandem coronâ vestrâ donare, quem eidem in pristinum splendorem, restituendæ aptissimum, & velut à Cœlo destinatum judicaveritis.

De Domo Lotharingica, ejusque antiquitate gloriosè adeò loquuntur historiæ, ut si de illa quid attigero, id facturus sim potiùs, quia id moris esse sciam, quàm quòd ea ignota esse possit, quæ orientem & occidentem heroicis suis facinoribus pervagata implevit meritis solis utramque domum. Jàmque à mille & trecentis annis toto orbe celeberrima multis nationibus

Reges

Reges dedit, omnibus sæculis heroes. De Godefridis, Balduinis, Renatis, Antoniis, Mercuriis, pluribusque aliis celeberrimis Lotharingorum Principibus quis non audivit? Illustrium Ducis Mercurii facinorum debita cum gratitudine meminit adhuc Hungaria. Rebellantes hæreticos in Alsatiæ confinio licet multum viribus impar delevit Antonius. Burgundi cognomento Audacis, & vicinis Principibus formidabilis, insatiabilem ambitionis sitim cum ejus vita in agro Nancejano extinxit Renatus, Godefridi & Balduini nunquam obliviscetur Christianus orbis, quos vidit Jerosolima Reges, sed exemplo Salvatoris sui coronâ spineâ redimitos; vobis inclyti Proceres hoc gloriæ reservantibus fatis, ut tantam & Christiano Principe dignam adeò modestiam in CAROLO HYACINTHO tot heroum digno Nepote auro coronare possitis. Hæreditarius est in hac domo Christiani nominis zelus, & contra ejusdem hostes successus, & gloriari possunt nullam se à Religione primum susceptâ novitatis labem admisisse.

Sed nec adeò novum est, ut adversarii nostri contendunt in Polonia Lotharingicum nomen: habuerant hi Serenissimi Duces multis abhinc sæculis Visigotam Islaviam Polonam, & Ludomillam Miceslai Regis vestri filiam Fridericis Primo & Secundo Lotharingorum Ducibus desponsa-

tas, renovaverunt hæc amicitiæ vincula contractâ, etiam cum Sereniſſima Anna de Domo Jagellonica affinitate; Sed hoc dictum ſit potiùs ne planè peregrini videamur, quam quòd aliquid inde juris in puriſſimam veſtram libertatem prætendamus.

Hac Proſapiâ oriundus comparet inter Regni Candidatos CAROLUS HYACINTHUS Lotharingiæ PRINCEPS, ſeu marium ſeu fæminarum jura ſpectentur, ampliſſimorum Ducatuum Lotharingiæ & Barri indubitatus hæres, qui duo Superioribus ſæculis Imperio Germanico, poſt Renatum autem Ducem ſoli Deo & Principibus ſuis ſubditi; iiſdem reditus Regiis paulò inferiores ſubminiſtrant. Offert obſequio Sereniſſimæ Reipublicæ juventutem vegetam, quæ nondum vigeſimum ſeptimum annum prætergreſſa, vigorem ætatis ſuæ oſtentat, prudentiam provectioris: hanc ætatem VLADISLAUS moriens quibuſdam in alio commendavit, quam ſi viveret, hodie in Principe Lotharingico amplecteretur.

Hanc eandem Rex Caſimirus Sereniſſimæ Reipublicæ regendæ tacitè deſignavit, quando regnum pacatum, & populum ultrò ad continuandum regimen invitantem, hoc ſolo motivo reliquit, quòd ætas provectior, vires tanto oneri pares non ſuppeditaret. Regnaverat tamen viginti & ampliùs annis, dicique poterat tam diuturnâ

nâ consuetudine artem regnandi sibi facilem reddidisse, & si quid vigoris annorum multitudine decerptum fuerat; id tanto tempore parta experientia, & subditorum eidem parere assuetorum promptitudo abundè compensatura videbantur.

Instabat Pontifex, urgebant vicini Principes, ne populum sibi fidelissimum desereret, nève, hoc Christianitatis propugnaculum vicinorum armis & ambitioni intempestivè abdicatione exponeret, perstitit tamen semper propositi tenax, credidítque omnia quæ Serenissimæ Reipublicæ, aliunde evenire possent incommoda, infra ea esse quæ à Rege sene timeri debent.

Tandem & vos Sapientissimi Proceres veniam ætati dedistis, eam (nisi me omnia fallant) in aliquo Candidato nunquam admissuri, quam in Rege uncto, & vestro sufficiens abdicationis motivum approbastis; sanè seu pacem seu bellum velitis, utriusque maximum firmamentum erit ætas regnantis vegeta, & quæ metu sui vicinorum vestrorum licentiam, in perniciem vestram inhiantem, intra limites suos coërceat. Norunt enim quid possit fortissima Natio Polonica sub juvene & bellicoso Rege. Jactent ut volunt alii multorum annorum experientiam, certè ars regendi Poloniam, nonnisi in Polonia addiscitur, & toto cœlo aberrabit, qui eam Germaniæ aut Galliæ moribus conformare aggressus fuerit,

documento nobis ſint vicina Regna, quàm malè Germanicis Legibus cum libertate conveniat.

Adfert è contra Lotharingus in ætate florida animum licèt fortem & audacem, non tamen ſenili more pertinacem, & imperioſum, non deſpoticæ Dominationi aſſuetum, ſed adhuc facilem, & ut ita dicam cereum, cui formam Sereniſſimæ Reipublicæ ſuaviter regendæ ampliſſimam facillimè impreſſeritis. Ingenium docile, & quod linguarum Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, & Hiſpanicæ; perfectâ ſibi comparatâ peritiâ certam ſpem præbet, Polonicæ eâdem facilitate capiendæ, cujus jam non mediocria poſuit fundamenta. Adfert ſtudia & inclinationes genio Polonico accommodatiſſimas, laborum tolerantiam, bello præſertim ultimo Hungarico probatam, & quotidianis, exercitiis equeſtribus ſcilicet, & aliis bellis ſimilitudinem habentibus roboratam: non illi molle otium, & loco fixum, ſed campus & arena magis placebunt, facilèque ſub pellibus hyemem, ſub tentoriis æſtatem aget, ac in locis hoſti propius expoſitis etiam Kioviæ, vel ubi occaſio belli tulerit Regiam Sedem conſtituet. Veniet à Sereniſſima Republica, adoptatus filius, & ab eadem accipiet familiam & uxorem, non quam illi amicorum inimicorumque vota hactenus deſtinarent, ſed quam Reſpublica bono

ſuo

ſuo magis utilem judicaverit, cujuſcunque gentis fuerit ſeu nationis. Ejuſdem Sereniſſimæ Reipublicæ ritus, amicitias, inimicitias, obligationes, fœdera liberrimè amplexurus, Polonorum Veſtem ſicut & animum & mores ſtatim accepturus, nulli externorum Principum vel beneficio vel injuriâ obnoxius, nulli ad ejus commendationem obtinendam, aut alia quacunque ex cauſa fœdere ligatus, nullis promiſſis erga quorumcunque Principum miniſtros ad illos ſibi devinciendos obligatus, nullo ære alieno gravatus, nullis liberis, agnatiſve, quos nullos habet, niſi remotiores, Sereniſſimæ Reipublicæ ac juſtitiæ diſtributivæ gravis futurus.

Veniet oblitus ſui, memor veſtri eò & præ cæteris commendabilis, quod à nemine commendatus totam quanta eſt accepti beneficii gratiam vobis ſolis acceptam referet, & in id totus incumbet, ut tam inſigne beneficium, quod ab omnibus acceperit, quantum licebit ſingulis rependat. Nihil ſub eo in Polonia niſi Polonum videbitis, abundè enim ſuppeditabit Lotharingia, unde domeſticos ſuos, ſi quos ex conſenſu Sereniſſimæ Reipublicæ, extraneos ſecum adduxerit recompenſet. Ipſam etiam Perſonæ ſuæ cuſtodiam non exteræ nationi, ſed ſolùm modò generoſiſſimæ Nobilitati Polonæ concrediturum ſe promittit.

Commendant eum præſenti rerum Veſtrarum ſtatui neceſſariæ, & velut à cœlo deſtinatæ corporis animique dotes. In bello fortitudo, quæ ab ipſis Chriſtiani nominis hoſtibus laudem extorſit, in pace modeſtia, quæ ei omnium in quibus vixit aularum ſtudia animoſque conciliavit. Corporis ſanitas robuſtiſſima, & in quoſvis belli paciſve labores duratura, ingenii perſpicacitas, quæ eos omnes, quibus familiarem ſe præbet in admirationem ſui rapit. Animus liberalitatis amans, & Regiâ fortunâ dignus, gratitudo in amicos, humanitas in omnes. Sed ſuperſedeo ne eam modeſtiæ opinionem, quam ab hoc ampliſſimo conſeſſu mihi conciliare conatus ſum, vel ſolâ enumeratione Virtutum, quæ in tanto Principe accumulatæ inveniuntur, apud eos quibus fortè nec famâ adhuc innotuit offendam. Suffecerit me ſapientiſſimæ & fortiſſimæ Nationi generoſum & prudentem ſeu Ducem, ſeu Regem oſtendiſſe.

Ne tamen me nudam hîc & omni auxilio deſtitutam virtutem oſtentare voluiſſe credatur, conſideravit præſentem Sereniſſimæ Reipublicæ Statum eo quo debuit animi ſenſu CAROLUS HYACINTHUS Princeps, audiit murmurare exercitus ob ſtipendia à præteritis adhud annis debita, vidit in tanta vicinua teſtis, quanta mala Poloniæ adulterina moneta cauſaverit, & quanto graviora ſucceſſu temporis inde emer-

emersura sint, nisi huc pesti jam nimium grassatæ tempestivo aliquo remedio obviam eatur.

Et quò Electionem suam non minus Reipublicæ utilem, quam sibi gloriosam redderet, Serenissimum Patruum Lotharingiæ Ducem Domûs suæ promovendæ avidissimum in id induxit, ut solutionem stipendiorum militi debitorum in se susciperet, ad quam ante coronationem deponendam (si Deo & liberis Serenissimæ Reipublicæ, suffragiis visum fuerit tantum honorem in nepotem suum conferre) sese obligabit.

Tollendæ verò monetæ cupreæ ex redditibus Lotharingiæ quingenta florenorum millia quotannis enumerabit usque ad plenam abolitionem quinque millionum, quos Reipublicæ permissu cusos fuisse intellexit. Et si priùs decederet (quod absit) tunc alia quingenta millia monetæ eidem corrigendæ, quolibet anno prioribus quingentis millibus superadderet Lotharingiæ PRINCEPS. Quod si bellum ingruerit, peditum quatuor millia sumptibus suis in Reipublicæ, servitium per quatuor annos alenda promittit Serenissimus Patruus. Offert præterea Gymnasium Mussi Ponti erigendum, in quo centum Poloni Nobiles litteris & aliis exercitiis instruantur. Et insuper Varsaviæ pontem Vistulæ trajiciendæ intra quatuor annos construendum & absolvendum curabit; nisi pecunias huic operi ne-

ri necessarias ad redimendos à captivitate Nobiles Polonos, & ad reparandum muniendumque validissimum, non Poloniæ duntaxat, sed etiam totius Christianitatis propugnaculum Camenecense convertere fuerit æquiùs judicatum. Ad horum securitatem, & aliorum etiam si quæ alia promitti contigerit, Ducatus Lotharingiæ & Barri, & omnia Serenissimi Lotharingiæ Ducis bona, seu præsentia, seu futura, ubivis sita. Ego ejus Plenipotentiarius secundùm potestatem ab eo ad hunc effectum traditam obligabo.

Hæc sunt Reverendissimi, Eccellentissimi, Illustrissimi, Perillustres, Magnifici & Generosissimi, Principes, & Senatores, cæterique Serenissimæ Reipublicæ, Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ congregati Ordines, quæ vobis dicenda in mandatis habui. Finiam postquam uno adhuc verbo generositatem vestram in favorem Principis Lotharingiæ stimulavero, Vobis ob oculos ponendo quantùm debeatis illius de virtute & integritate Vestra fiduciæ, cui confisus contra potentissimos Europæ Monarchas, in unius promotionem conjunctos, solus in arenam descendere non formidavit.

FINIS.

PROPOSITIO
Legati Serenissimi Ducis
NEOBURGICI.

Serenissimæ Reipublicæ Polonicæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ Proceres ac Ordines,

Reverendissimi, Excellentißimi, Illustrißimi, Perillustres, Magnifici & Generosissimi Domini,

Flos liberrimæ Nobilitatis, Fortißimi Equites.

INclytissimum ac Augustissimum hoc Regnum multa habere à DEO singularia, & Coronam Regiam Clarissimæ & Nobilissimæ Nationis propriis quibusdam fulgoribus coruscare, quàm non pauca sint quæ demonstrant, nihil tamen æque extra omnem dubitationem collocat, quàm Comitiorum ratio, inprimis autem Electio Regum, semper insignis, generoso libertatis usu conspicua ac admira-

bilis, & heroico veræ Nobilitatis actu planè incomparabilis. Quapropter hoc tempore, quo Optimus Rex, cælesti instinctu, reliquum vitæ DEO soli impendendum, & intervalli aliquid inter curas seculi supremaque funera interponendum esse magno animo judicavit, Universi Orbis expectatio, non tam eligendi Regis merita quàm eligentium Consilium ac providentiam intuetur faustisque prosequitur ominibus. Peracturi enim estis, Sapientissimi Viri, hoc opus toti Rei Christianæ præsidio ornamentoque futurum. Rex invenietur qui est dignissimus. Optimus existimabitur & præclarissimo huic Regno utilissimus, quem summa hujus Venerabilis Concilii prudentia ad Regium solium provexerit. Interim ad honorem Nobilissimæ gentis pertinet, quod communis famæ judicio non nisi ingentis celebritatis Principes huic fastigio idonei destinantur. Sitque & maneat sua cuique quantacunq; esse potest laus & commendatio. Qui verò æternitati gloriæ & Imperii Vestri, simul vestræ Libertati, ipsemet quippe Libertati innutritus & assuetus & diutius studuerit, & majore semper Zelo fuerit addictus, unus est Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Philippus Wilhelmus, Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ ac Montium Dux, Dominus noster Clementissimus, qui Regiæ huic & in-

invictæ Reipublicæ immortales profitetur gratias, quod dignum censuerit, quem nunciato per literas interregno, ad pristina pia erga Serenissimam Rempublicam, Patriam Vestram, etsi nunquam intermissa studia, denuò amantèr invitaret. Quod igitur Serenissimus Princeps nos hûc legavit, non fiduciâ suâ, non spei duntaxat suæ, sed amplitudinis reverentiæ & observantiæ causa fecit quâ se devinctum agnoscit florentissimæ Genti, cui maxima quæque & plurima debens, cupit plura debere & majora præstare. Tum Serenissimæ hujus Reipublicæ tranquillitati ex animo gratulatur, quæ in his omnium penè rerum inclinationibus atque ruinis vel supra omnium fidem tanta est, ut omnino ipsa sibi sufficiat Augusta hæc Respublica, nisi antiquo more, unum caput suàpte sponte mallet. Quum verò forinsecus id adsciscere mens esse videatur, de Gente circumspicietur cujus indoles commoda sit, quæ Nobilitatem & Libertatem solitò curatius cum propugnet suam, tum ferat, ornet, augeat alienam. Quod itaque Sapientissimi Poloniæ & Lithuaniæ Magnates Equitesque, unis & solis Excellentiarum & Generositatum Vestrarum auspiciis, votis, suffragiis, placitisque fiat, unde hîc Electio Regum unicè pendet, Serenissimæ Reipublicæ Amici optant atque commendant Serenissimum nostrum Ducem Palati-

no-Neoburgicum Polonum vobis commendant, Lithuano-Polonum, non loco, ſed ſanguine, non nativitate, ſed genere, ſed origine. Non Piaſteum, bis Jagellonigenam, binarum Jagellonidum Conjugem, Filiorum quater Jagellonicorum Patrem. Ortus is eſt è Vetuſtiſſimâ & Nobiliſſimâ Domo tot Imperatorum, Regum, Electorum, Heroum Parente atque Nutrice. Cæterùm ipſe Jagellonis quadrinepos, Filii ejus Caſimiri bis trinepotes, cùm ex Barbarâ filia, tum è filio Vladiſlao Poloniæ Principe, Hungariæ & Bohemiæ Rege. Nihil equidem hoc omne eſt, ſi jus ſpectetur quod quippe nullum inde penitus eſt Vobis tamen ſancta ſemper Jagellonis ſtirps, quin ne fæminæ quidem ex illis neglectæ. Huc olim delatus Sereniſſimus Princeps quantoperè commendatus fuerit ab Uladiſlao Magno, plerifque veſtrûm Excellentiſſimi & Generoſiſſimi Domini cônſtat. Nunc quod Regiâ illius Sorore primâ ipſius Uxore & liberis ex eâ caret, infelicior quidem, at nihilo factus eſt indignior, cujus meminerit bonitas & benevolentia Veſtra. Adderemus hodiernam Sereniſſimam Principis Conjugem, & ipſam ſtirpe bis veſtram, niſi vobis aliqua ſtirpis quidem, potior virtutis ac princeps cura eſſet. Virtutis certò fuit, quod Sereniſsimus Princeps animum huc appulit, innocentiſſimo tamen molimine, & intra

intra modum. In omni hoc rerum transitu noluit intempestivè spem consumere, justo se tempori, imò voluntati vestræ se reservavit semper syncerè sollicitus, ut Libertati, inæstimabili & communi thesauro, religiosissimè caveretur, ut omnia licitis, æquis, honestis, placidisque mediis fierent; non per improba fœdera; non per infideles Barbaros, Tartaros, Cosacos, non per præcoces & malignas artes; non per cujusdam præjudicium; non per pravarum chartarum sparsiones, idque genus meditamenta, qualia & audere & bonis viris imputare indecorum & nefas est. Una placidissimo Principi cura, hæc charitas, hic scopus summi Viri, vobis laborare Reique publicæ, ut vos vicissim ipsi faveatis, qui omnia utique in solidum Eminentissimæ huic Reipublicæ debebit. Nullo is alio, nisi vestro, favore, nullâ affinitate, nisi vestrâ se commendat. Serenissimæ Reipublicæ amicorum commendationibus, pace vestra, utitur. Solâ Excellentiarum & Generositatum Vestrarum dignatione, indulgentia, benignitate & auctoritate nititur unicè niteturque. Satis superque sibi sufficit Polonia. Rege ei opus, non tam qui multum afferat, quàm qui nihil auferat, nihil deferat pessundetve. Qui juxta cum omnibus suis solidè Catholicus sit. Qui res benè ordinet, solertèr amplificet, generosè administret, fructuosè dispen-

ſet. Qui nulla niſi Reipublicæ bella habeat. Qui pacem colat, commercia inſtauret & diſciplinam. Qui totus veſtræ ſpontis ſit. Nemini obnoxius niſi Legibus, impermixtus rebus alienis. Qui Regnum novis periculis, privatis prætenſionibus, diffidentiis, ſimultatibus, æmulationibus, bellis deniq; non implicet. Qui ſuſtentandis per ſe ſuis par. Nemini ſuſpectus. De ſuo, ſicubi opus, vobis levationi futurus, ſine exprobratione. Qui nunquam oneri ſit. Qui cum ad ſeria ventum, omnibus par negociis, ingenio, judicio, corpore, ſermone, ſtylo, opere. Laborum tolerans, Tractabili, compoſito, culto ſit animo. Præclarâ morum continentiâ. Nec inſciens bellare, nec appetens. Maturus, conſideratus, providens, affabilis. Ex uſu intelligens muneris ſui. Qualis an Sereniſſimus Princeps noſter ſit Veſtrarum Excellentiarum & Generoſitatum, Sapientiſſimi Viri, erit judicatio. Experiundo ſanè patebit, omnia junctim Principi huic in promptu fore, quæ ad propitiandum Genium generoſiſſimæ Nationis ſpectant. Unde felix Germanici Polonicique nominis copula, pari communis Libertatis & publicæ ſecuritaris ingenio anctorata, orietur, maximo hujus Regni & univerſæ Rei Chriſtianæ emolumento. Jagellonis utique, Caſimiri, Sigiſmundi, Fratris ſimul & Sororis proximam propaginem, Divi Sigiſmundi III. Generum,

Vla-

Vladiſlai & Johannis Caſimiri Regum affinem Sororium, ſi Excellentiæ & Generoſitates Veſtræ velint, en habetis, Maximi & Optimi Viri! Principem Germano-Polonũ, Catholicum, juſtitiæ, æquitatis, militiæ & Civium benè de Patriâ merentium, peramantem. Nullis hoſtilitatibus implicitum. Linguarum Latinæ, Italicæ, Gallicæ, aliarumque ſcientem, nec Polonicæ inſcium. Cui per DEI gratiam, morborum expers, compacta & profectò benè valens ætas pleriſque inimitabilis vigor. Cui venari, equitare, ſub dio vivere, pars diætæ, imò medicinæ eſt. Cui florentes ſubſunt, nec exiguæ ad Rhenum & Danubium Ditiones atque Principatus, non unis millionibus, nec ſemel, ſed quoties opus, intra breve tempus perſolvendis, tum aliquot millibus bonorum militum parandis alendiſque pares. Quemadmodum multoties è terris Sereniſſimi Principis, fæcundiſsimo fundo fonteque, integri Exercitus conſcripti, diu ſervati, & in campum educti ſunt. Qui liberos nec plures hùc adducet, nec aliis modis aut conditionibus, quàm ipſi voletis. Quibus nihil de bonis Reipublicæ Regalibus & Spiritualibus conferet, aut curabit conferri. Domi abundè illis eſt. A veſtris nutibus pendebunt, ſub optimâ nunc educatione & deinceps facturi ad amuſsim quicquid ſtatuet Sereniſsimus Parens. Cui Leges Veſtræ &

voluntates pro moderamine erunt & omnis vitę regula. Qui Excellentiarum & Generoſitatū veſtrarum ſeſe placitis tanto magis apturus eſt, quanto plura majoraq; dat pignora quàm optimè de Republicâ merendi. Juventuti Polonæ & Lithuanæ ad ſtudiorum exercitiorumq; cultum capeſſendum Colonię Agrippinæ & Ingolſtadii ſumptus ſuppeditaturus. Quâ pollet peritiâ, ſolertiâ & dexteritate effecturus, ut commercia fructuoſiſsimè poſsint efflore ſcere. Improbā ac mendoſam monetam ſuis impendiis fortiter profligaturus. Tria fortalitia, locis idoneis, Reipublicæ placituris ære ſuo conſtructurus. Porrò Sereniſſimæ Reipublicæ, ſi neceſſaria tempora id poſtulent, in ſubſidium adducturus quatuor vel quinque millia peditum. Tùm ſi Reipublicæ ex pactis recens conventis ſuum non reſtituatur, Sereniſsimus Princeps officiis ſtudiiſque ſuis apud cæteros vicinos cognatos ſuos, fideliſsimè præſtabit, ut eorum opem & conjunctionem utilem Reipublicæ adverſus illum tùm hoſtem communem impetret, ſpe certâ fretus, fore ut ea nullo modo deſit. Omni quoque ratione, quæ Sereniſsimæ Reipublicæ opportuna videbitur, allaborabit apud Sacram Cęſaream Majeſtatem & in Comitiis Imperii, ut & inde auxilia præſtò ſint, ſi à Turca periculum & bellum contra hoc Regnum moveri contingat. Idem Sereniſſimus Princeps Sereniſsimæ Reipublicæ vel
ſan-

ſanguine ſuo inſervire cupidiſsimus promtum ſe corpus & caput ſuum ad omnia quæ ad præſens & impoſterum Regni ſalus, amplitudo & gloria poſcunt, offert, atq; ut Regnum oneribus levetur, ad unum integrum annum Exercitum ſuiſmet impendiis alere, ejus membris benefacere, cumque ipſis ipſe adverſus hoſtes Regni quoſcunq; alacriter prodire, una cum iis utramq; fortunam experiri, & omnes Vires ſuas periclitari paratus eſt. Agite modo fortiſsima pectora, Libertate veſtrâ & prudentiâ, candore, jure ſtatuque veſtro freti, ſpe, ambitu, æmulatu omnes unanimitèr abſolvite. Princeps noſter eſt Ducatuum ſuorum poſſeſſor quietus, amantiſsimus ſuis, DEI metuens, obſervans legum, veteris moris retinens, fidei ſervans, amans ſanè libertatis & militis, Nobilitatis & Equeſtris Ordinis longè amantiſsimus, Senatorii perquàm reverens. Germanus, imò Polonus eſt. Multis nominibus veſter eſt. Addite modo, quod pleniſsimo jure libertatis poteſtis, ut quod nos petimus, optamus atque vovemus. In quo auſpicato omine conquieſcimus, & DEUM precamur, DEUM fortem, DEUM conſilii, ut eam Excellentiis & Generoſitatibus veſtris mentem indat, unde, cum perenni fructu ac triumphali totius Imperii Sarmatici gloriâ, voti damnemur ſinguli, exitu lætemur univerſi.

JUSTÆ QUERELÆ
Et
LACHRYMÆ

Evangelicorum Augustanæ & Reformatæ confeßionis in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ circa novi Regis coronationem Anno 1669. veteres & novas injurias deflentium easque orbi Christiano, cumprimis Euangelicis Principibus & statibus proponentium.

DOlendum profectò est ex animo, quod cùm Patres nostri nosque ipsi hac felicitate gavisi fuerimus, ut cum per injustam arrogantiam Dominorum Spiritualium Ecclesiæ Romanæ, vel per decreta Tribunalitia, vel per injurias ab aliis Judiciis & Officiis illatas graviter premeremur, in Electione novi Regis, Solatii loco, leges aliquas vel cautiones novas à Rege & Republica obtineremus: nunc pessum ruente Republica omnia votis

votis & æquitati contraria eveniant. Non ſatis antehac conſideravimus quid poſt ſe Arrianorum à beneficiis Reipublicæ primum, tandem & è Republicâ excluſio traheret mali. Nunc iiſdem prorſus machinis nos Evangelicos tam Auguſtanæ quàm Reformatæ Confeſsionis à communibus adverſariis appeti, iiſdem artibus ſubverti, per quas Arriani everſi ſunt, animadvertimus, agnoſcimus, querulamur, nobiſq; vim maximam & injuriam graviſſimam in libera Republica in qua omnes pares nati ſumus, fieri, coram Deo & Orbe univerſo proteſtamur. Nam ut antiquiora taceam & ſola nuperrima ac præſentia in medium proferam, excluſi fuerant primùm Arriani non tantùm à dignitatibus Senatoriis, ſed & ab Officiis Terreſtribus, ita ut nec in Judices ad Tribunalia Regni, nec in Nuncios Terreſtres, more Majorum, eligi potuerint; excludimur & nos jam pariter. Dum laudabilia majorum veſtigia ſequentes benèque de Republica mereri cupientes, vel etiam benè de eadem meriti Beneficia ejus, & vel Officia noſtris ſumptibus obeunda, quæ alius oneri ſibi potius quàm honori duceret, honeſtis modis, ut ingenuos decet, appetimus, ubique nobis magna impedimenta Domini Spirituales aliique ſerviliter eis addicti objiciunt. Quàm rari proh dolor! jam in Tribunalibus & Comitiis, quæ Majores & paren-

rentes nostri frequentarunt, rexerunt, sustentarunt, comparemus. Comparemus quidem sæpè, sed citati, mulctati, damnati, infamia notati, &, quod majus est, vel levibus de causis vel ob conficta & nobis afficta crimina. Quid non in nuperrimis Comitiis novæ Electionis objecerunt nobis per summam iniquitatem Domini Lithvani? Nempe nos esse ab omnibus dignitatibus & officiis Reipublicæ excludendos: non esse nos reliquis civibus pares. Summa profectò hæc est non tantùm iniquitas, sed & ingratitudo. Majores enim nostri illorum majores communibus secum Insignibus Gentilitiis, cùm Lithvaniæ cum Regno unio fieret, uti voluerunt, & velut alienos surculos stirpibus suis avitis inseruerunt. Hanccine nobis eorum posteris rependunt gratiam, ut nos æquali secum jure gaudere, æquali libertate frui & eodem loco censeri nolint? Quæ proh Deum! ista temeritas est, ne quid gravius dicam? Ubi est Fides? ubi pietas? ubi æquitas? Ubi juris cura? ubi honesti respectus? Objiciunt leges aliquas à Jagellone, Sigismundo I. & II. latas, quibus efficere volunt, ut tanquam hæretici tractemur & ab honoribus arceamur. Novimus, novimus mentem eorum, & ex Arrianis mensuram capimus, eos scilicet id intendere, ut nos pariter à dignitatibus primùm & officiis Reipublicæ, postea à libertate, tandem & ex

ipsa

ipſa Republica excludamur. Meminimus probè quid ante triginta annos in negotio Racoviano, & dehinc in ſummum non tantùm Diſſidentium ab Eccleſia Romana, ſed & communis libertatis præjudicium factum ſit. Introductum tunc eſt in Arrianis ſummum jus & ſummarius proceſſus, conniventibus noſtratibus, ac dicente D. Petro Kochlevio, Judice & Nuncio Terreſtri Palatinatûs Breſtenſis in Lithvaniâ, Viro alioquin in Republica clariſſimo, *Fiat pro hac vice*: quibuſdam & propter id gaudentibus, quorum tamen inconſultam malevolentiam Illuſtriſſimus & Celſiſſimus Princeps Chriſtophorus Radzivilius magnus ut in toga Senator, ita & in ſago Dux belli communi libertati imminens periculum prævidens arguit. Nempe enim malum illud exemplum longius progreſſum, ad ipſos quoque Pontificios & Viros quidem in Republica Illuſtriſſimos, Dominum Hieronymum Radziejovium Vice-Cancellarium Regni & Dominum Georgium Lubomirium Regni Mareſchalcum & Ductorem campeſtrem, pervenit. Sed & nos, paulò poſt illud Racovianum negotium, Vilnæ pariter enormi injuriâ affecti, ac toties dehinc quæſitis prætextibus afflicti fuimus. Itaque cum tot ſociorum & noſtris propriis exemplis, quid moliantur ac tentent Pontificii, nempe ut & nobis communem libertatem adimant, noſ-

que

que tandem patriâ ejiciant (cujus rei insigne documentum in universo Mazoviæ Ducatu omnibus nostratibus ignominiose & inhumaniter ejectis dederunt) edoctissimus, omnino par, imò necessum est, ut de conservanda avita libertate plurimum laboremus, & in ejus tutelam toto pectore incumbamus. Oportet itaque nos dispicere, quærere & amplecti omnia media legitima & ad hanc rem adeò justam consequendam idonea. Foris illa non quærimus, nisi ut per intercessionem & auctoritatem Principum & Statuum Euangelicorum Augustanæ & Reformatæ confessionis, qui in Europa sunt, justissimis querelis de intolerandâ prævalentium authoritate & potentiâ popularium, de iniqua ac legibus adversâ conscientiarum tyrannide, in sinum eorum depositis, avita libertas nobis restituatur & inposterum inviolata conservetur. Cujus quidem voti & postulati ac conatus nostri gravissimas habemus rationes, quas hîc breviter & distinctè exponemus, ut quid domi quæramus, palam fiat:

I. Ut satisfiat fidei publicæ & perennaturæ. Majores enim nostri, non hi vel illi, sed omnes in genere considerati, ut de religione à se mutuò dissidentes, ita mutuò pacem inter se perpetuis temporibus conservandam sub vinculo juramenti, sub fide, honore & conscientiis, pro se & posteritate

ritate

ritate ſpondentes, tempore legitimo, ſcilicet in interregno, poſt mortem Sigiſmundi Auguſti, cum Reſpublica planè ſui eſſet juris, & omnis hæreditariæ ſucceſsionis expers, loco legitimo, nempe in Comitiis Convocationis Varſovienſibus, modo inſuper legitimo, ſine ulla vi vel fraude, minis vel artibus ullis, ſed libero ac unanimi conſenſu accedente, nemine etiam tunc contradicente, imò Franciſco Craſsinio Epiſcopo Cracovienſi illi confæderationi Regni generali ſubſcribente: denique ob cauſas legitimas, videlicet ut in Republica libera & æquali ſtatu nobilitatis conſcientiæ eſſent liberæ, nec pernicioſa bella, ut in aliis tunc regnis (quam rationem ipſi Majores noſtri allegarunt) in Republica excitarentur, omni meliori modo ſanxerunt, confirmarunt, communiverunt.

II. Ut ſatisfiat avitæ & publicæ legi, quam & validiſsima longiſsimi temporis præſcriptio tuetur. Jam enim integrum decurrit ſeculum, ex quo illa confæderatio Regni generalis eſt inita, quæ & lex perpetua ac irrevocabilis toties in Codice noſtro vocatur, & unà cum aliis legibus Regni omnibus Solemni juramento circa Electionis & Coronationis actus confirmanda ab Ordinibus Regni ſub nullitate electionis propoſita, & diplomatibus illorum confirmata, ab ipſis quoque Epiſcopis Petro Myſzcovio

zcovio & Petro Gembicio Cracovienſibus, tum à Laurentio Goſlicio Camenecenſi approbata eſt. Nam quod ad exceptiones & proteſtationes Cleri Romani & incolarum Mazoviæ attinet, Hæ primùm extra Comitia Anno 1573. adeoque poſt legem illam Reipublicæ ſalutarem libere & ob cauſas maximi momenti ac ritè conditam, imò & in privato conventu, publicè verò demùm in Electione Sigiſmundi Tertii Anno 1587. à quatuor Epiſcopis & Palatino Mazoviæ, factæ, & tunc quidem in Comitiis Electionis illius admiſſæ fuêre; Interim prior his eſt lex publicè recepta & ab Anno 1573. in executionem publicam (: alioqui libertas religionis noſtræ, imò & Arrianorum, publica etiam in urbibus Regalibus ab Anno 1550. cæpta viguit & floruit:) deducta, illamque libertatem, quæ antea ſolâ Ordinis Equeſtris prærogativâ & uſu nitebatur, publicâ, & Comitiali quidem, authoritate ac conſenſu ordinum Regni muniens; Illiſque proteſtationibus ſive exceptionibus oppoſitæ ſunt publicæ & Codici legum inſertæ Diſſidentium ab Eccleſia Romana reproteſtationes ac manifeſtationes, ut ita ſalva forent & Eccleſiæ Romanæ & noſtrûm omnium ab ea diſſidentium jura, communi pace & libertate inter utramque partem, ut lex loquitur, ſancitâ, & perpetuò Sacroſanctâ manſurâ.

III. Ut

III. Ut ſatisfiat priſtinæ exiſtimationi & felicitati Reipublicæ Tamdiu enim hæc utraque, quamdiu & libertas illa æqua floruit, Diſsidentibus ab Ecdeſia Romana omnibus ad præcipuas quoque dignitates & officia Regni MagniqueDucatûs Lithuaniæ admiſsis. Docent id extrema Auguſti tempora : docet integrum regimen Stephani, & initia Sigiſmundi 3. ac Vladiſlai 4. quæ florente illâ libertate læta & glorioſa extiterunt, idem docent.

IV. Ut ſatisfiat Coſacorum & omnium Græcæ Eccleſiæ addictorum exſpectationi. Non enim poſſunt iſti meliora & certiora fidei ſibi à Republica ſervandæ & libertatis ſuæ parti conſervandæ habere experimenta, documenta & authoramenta, quàm ſi omnibus ab Eccleſia Romana diſsidentibus avitarum proſapiarum nobilibus fides & libertas poſtliminio revocata majorum more ſervetur.

V. Ut ſatisfiat communi libertati in Republica ſtatui & ipſorum Pontificiorum exſpectationi. Nam quæ adverſus Arrianos reaſſumptæ ſunt, & jam adverſum nos reaſſumuntur leges Jagelloniæ adverſus hæreticos & eorum fautores latæ, libertatem communem prorſus evertunt, maximam inæqualitatem, imò abominandam ſervitutem & tyrannidem Inquiſitionis Hiſpanicæ ac triſte illud Magiſtrorum pravitatis hære-

ticæ

ticæ ad hoc à ſede Apoſtolica deputatorum vel deputandorum jugum, apertè introducunt, ac illud privilegium magnum nobilitati ab ipſo Jagellone poſtea conceſſum de non captivando Nobili niſi jure prius convincatur, omninò tollunt, cum & extra magiſtratus viventibus, imò & plebeis poteſtatem dent hæreticos ac vel de hæreſi ſuſpectos & eorum fautores captivandi & pœnis civilibus ſubjiciendi : quod per poſteriores Jagellonis & aliorum Regum noſtrorum leges nec ipſi Regi facere licet. Quamobrem &

VI. Ut ipſius Divi Jagellonis, cujus poſteriora ſtatuta ligant (præſertim cum illæ leges & ab ipſo Jagellone, & à filiis ejus Vladiſlao & Caſimiro & ab Ordinibus Regni in Conventu Sendomiriæ habito per conſilia & fœdera cum Bohemis, contra quos nominatim erant latæ, ſint abrogatæ & nunquam executioni mandatæ) Manibus ſatisfiat :

VII. Ut ſatisfiat votis novi Regis, qui fidem avitam ſervare & cives æquo jure retinere, atque hac ratione Coſacos ad obedientiam revocare, Ucrainam Reipublicæ ſibi verò ampliſsima bona hæreditaria à Coſacis pluſquam 20. Annis poſſeſſa recuperare vellet.

VIII. Ut ſatisfiat vicinitati, amicitiæ & exſpectationi omnium Principum & ſta-
tuum

tuum Evangelicorum, cumprimis nuperis tractatibus Olivæ cum Corona Suecica initis, quibus cautum est, ut omnes ab Ecclesia Romana dissidentes pace & libertate secundum leges Regni, illas scilicet Anni 1573. & alias similes, non utique secundum leges durante bello Suecico Anno 1658. latas, dictis dissidentibus perniciosas (quis enim sanus hoc vel de Suecis dixerit, vel naturæ amnestiæ convenire crediderit? Ideo illi omnem à se suspicionem adjuncta declaratione statim amoliti sunt) fruantur, neve aliqua novi belli occasio inde enascatur.

IX. Ut satisfiat paci & tranquillitati ac votis & necessitatibus, præsertim post deditam Turcis Candiam, orbis Christiani gravi periculo laborantis. Nam illa conscientiarum tyrannis provocavit rebellionem Cosacorum, hosque desperatâ veniâ & fide libertatis ad recipiendam Turcicam protectionem, magno cum Christianitatis periculo coëgit, reversuros ad officium, si libertas redderetur. Vel hæc pauca ad tuendam omnium nostrûm ab Ecclesia Romana dissidentium causam sufficient apud eos, qui avitæ fidei, legis, probitatis & justæ ac communis libertatis ac publicæ salutis & quietis amantes & vel aliquo saltem modo observantes fuerint. Sed nisi in executionem lex illa Confœderationis Regni, quæ

omnia

omnia Jagellonis, Sigiſmundi I. & I I. ſtatuta, decreta & proceſſus libertati religionis & pacis mutuo ſancitæ contrarios in univerſum abrogat, deducatur, ſumma iniquitas in Rempublicam antea libertate ęqua florentiſsimam introducta retinetur, & actum eſt de nobis omnibus ab Eccleſia Romana diſsidentibus, quod in Arrianis clarè videmus, poſt quos niſi ex patria (quod merito ſanè veremur, imò nobis imminere prævidemus) ejiceremur, certò certius in ea inglorii viveremus, omni jure æqualis libertatis, imò & nobilitatis ac ſecuritatis exuti precariam animam traheremus & à diſcretione juratorum ac capitalium hoſtium noſtrorum dependeremus. Tales enim ſunt judicandi qui nos ut hæreticos infamant & tractant, qui nobis libertatem ſacræ copulæ matrimonialis, baptiſmi, ſepulturæ & omnium ſacrorum adimunt, qui nos æquali dignitatum & officiorum ipſiuſque avitæ nobilitatis jure privare, noſq; ex patria pellere, quantū in illis eſt, allaborant, id omnibus artibus, etiam calumniarum, criminationum, injuſtitiæ ac perjurii perfidiæque, & modis illicitis promovent, nec quidquam quod ad nos contumeliis, blaſphemiis & omnis generis injuriis afficiendos faciat, unquam intermittunt, imò ejuſmodi falſos prætextus ſolicitè quærunt & avidè arripiunt, in eoque toti ſunt ut nos
eo-

codẽ modo quo Arrianos opprimant. Quid nempe aliud exſpectandum ab illis eſt, qui nos nec pro Nobilibus, imò, ne quid præfractæ iniquitati & malitiæ deſit, nec pro legitimis parentum liberis ac honeſto loco natis habent (: nota ſunt in vulgus ſcripta quæ publicè proſtant ejuſmodi convitia in nos velut è plauſtro fundentia:) ideoque & omne magiſtratûs jus & avitam generis prærogativam, quam à majoribus ante plura ſecula accepimus, illi etiam quibus iſta natalium jure non obtigit, ſed quos cæca fortuna ad nobilitatem & dignitates Eccleſiaſticas extulit, ereptum eunt? Vix duo menſes elapſi ſunt, ex quo Dominus Epiſcopus Samogitiæ (cujus Illuſtriſsimæ familiæ, quæ Patziorum eſt, nil hic detraho, ſed de ſola iniquitate queror) excommunicationem, licet ordinem equeſtrem ab omni juriſdictione Dominorum Eccleſiaſticorum leges in Comitiis 1562. & 1565. quamvis ante legibus publicis ſtabilitam religionis libertatem latæ exemerint, adverſus nonnullos Evangelicorum in Samogitia poſſeſsionibus terreſtribus gaudentium, publicavit. In qua apertè Confœderationem Regni impugnat, nos ut hæreticos damnat & decretis Concilii Conſtantienſis, inter quæ illud, hæreticis non eſſe ſervandam fidem, omni juri & honeſtati contrarium, ſubjicere conatur. Hinc nos

omnes

omnes exilio & exitio destinatos esse quivis clarè videt. Ac proinde Novi antiqui veri natalium & sortis jure Quirites quiritamur, querulamur, lachrymis uberibus calamitates & injurias, quas patimur, deflemus omnes Christianos, omnes justitiæ, æquitatis, libertatis, honestatis, boni publici amantes, præcipuè Principes & Status Evangelicos officiosè oramus, obsecramus, ut sua intercessione, votis, studiis nos juvent, sed cumprimis popularium corda, communium Majorum fidem, legem publicam, fas & æquum, honestum & utile Reipublicæ commune jus, communem sanguinem, communem patriam, appellando tandem Deüm hominumque fidem implorando, ad postliminio revocandam & perpetuò conservandam libertatem flectere conamur, ipsa Acheronta, si ibi honestati locus esset, ardenti prece & tristi miseratione moturi, vitam, sanguinem, pignora, fortunas & quicquid charum in rebus humanis habetur, usibus carissimæ patriæ devoventes.

DECLARATIO

Illustrissimorum & Excellentissimo-Dominorum Sacræ Regiæ Majestatis & inclytæ Coronæ Sueciæ ad tractatus Pacis Prussiacæ Legatorum Plenipotentiariorum,

Pro Pace & libertate omnium ab Ecclesia Catholico-Romana de Religione in Polonia Dißidentium in puncto amnestiæ secundum avitas leges Regni cautâ: ex ipso Originali publici juris facta Anno M. DC. LX.

Sacræ Regiæ Majestatis Regnique Sueciæ ad Pacificationem in Borussia legati commissarii Plenipotentiarii.

NOtum, testatumque facimus, quod licet à Religione Romano-Catholica in Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Lithvaniæ disſidentes, in moderno Instrumento Pacis Sueco-Poloniæ, articulo de amnestia secundo, per expressum non sint nominati, dicta tamen amnestia, tam Generalis quàm specialis, etiam illos concernat, eâq; ipsi totâ frui debeant. Neque enim Legationi Suedicæ mens fuit, ullas leges antiquas & antiquatas contra hæreticos sic dictos sancitas, vel etiam novas durante hoc bello (quo meritò præsumi debet ac potest, nihil esse innovandum) latas hoc tractatu confirmandi, sed potius, ut hac Pacificatione cuncta in

cum

eum ſtatum, qui ante hoc bellum fuit, reducantur, nec cuiquam, quod partes Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ ſecutus fuerit, ſub quocunque prætextu noxæ & fraudi ſit, efficiendi. Ac proinde declaramus ac teſtamur, verba in paragr. 2. præfati articuli: *Secundum leges Regni* : ex parte noſtra non aliam vel antehac admiſiſſe, vel etiam num admittere interpretationem poſſe, quàm ut unuſquiſque ſine exceptione, & cujuſcunque Status, conditionis ac Religionis ſit, gaudere debeat juribus, privilegiis & conſuetudinibus, tàm in Eccleſiaſticis, quàm profanis, ſecundum leges Regni, ſicut ante hoc bellum obſervatum fuit. In cujus rei fidem præſens Atteſtatum manibus noſtris ſubſcripſimus & Sigillo Legationis Majori roborari fecimus. Sobothi die 31. & 21. Maii Anno 1660.

Magnus Gabriel de la Gardie.
1. *Benedictus Oxenſtierna A. Gyldenclau.*
2. *Chriſtoph. Carolus Schlippenbach.*

L. S.

GODOFREDUS von SCHRÖER.

Legationis Secretarius.

F I N I S.